

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Nicolaus Schütze/ I.U.D. & Codicis Professor, Ad Exequias Quas ... Viro Laurentio Marquardo, I.U.D. Moestissima Vidua, hodie ... paratas cupit, Omnes omnium ordinum Cives Academicos sedulo invitat : [P.P. Rostochii sub sigillo Rectoratus, 12. Ianuarii Anno 1641]**

Rostochii: Kilius, 1641

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770345514>

Druck Freier  Zugang



79.

PROGRAMMA

QUO

M.

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

NICOLAUS Schütze /

J. U. D. & Codicis Professor,

AD

EXEQUIAS

QVAS

CLARISSIMO ET CONSULTIS-

SIMO VIRO

LAURENTIO  
MARQVARDO,

J. U. D.

Mœstissima Vidua, hodie hora prima

in templo Mariano paratas cupit,

*Omnes omnium ordinum Cives Academicos  
sedulo invitat.*



ROSTOCHII,

*Literis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

Anno M. DC. XLI.

56.

FP Marquard, Lorenz 1641





Legans est & plane gra-  
phica Cebetis Platonici pictu-  
ra, qua depingit ac spectatori-  
bus ob oculos ponit vitæ hu-  
manæ conditionem, in dolem,  
ingressum, progressum & exit-  
tum deniq; Ingressus omnibus idem est, par-  
conditio & indoles mortalitatis omnibus insi-  
ta & adjuncta, *quicumq; vitæ munere vescimur,  
Sive reges, sive inopes erimus coloni.* Omnibus  
Genius ad portam positus in aurem dicit, quæ  
ad iter conficiendum & feliciter absolvendum  
pertinent, quin etiam sublato digito monstrat,  
qua eundem sit, qua non; Verum Erroris, &  
Ignorantiæ poculum, quod offertur ingressis,  
licet alii plus, alii minus ex eo bibant, omnem  
hanc illis expectorat sapientiam, ut nihil me-  
minerint omnium, quæ ab Genio sene didice-  
rant, planè quasi ex Lethe fluvio bibissent. Atq;  
utinam obliti essent saltem; non vero alias &  
à prioribus diversas imò contrarias, in locum ac-  
cepissent opiniones. Adsunt enim quædam  
qua-



quasi honestæ & venustæ mulierculæ; qua-  
rum si videas faciem, videntur esse quantivis  
precii; Opiniones dicuntur, cupiditates & vo-  
luptates. Hæ prima fronte pollicentur aliæ  
aliud bonum; Vel enim aurum ostentant, &  
ab eo fulgorem commendant, non solum qua-  
si oculis conducibilem, sed ad voluptates etiam  
in vita agundas, ad honorem inpetrandum, ad  
existimationem, & auctoritatem comparandam  
pene necessarium, vel honores, pollicentur, &  
prærogativas, tanquam generosiora pabula &  
illicia objiciunt; *Vel Venerem & cœnas & plu-  
mas Sardanapali*, Vel quidvis deniq; aliud, præ-  
ter Virtutis cultum & ex eo promissam beati-  
tudinē. Igitur inde ad Fortunam se conferunt,  
instabilem, temerariam, ἀλλοπεσοειδον, modo ar-  
ridentem & propitiam, modo, quasi favoris  
pœniteat, aversam & aliis annuentem. Ab ea  
petunt errantes, quæ petenda, æstimanda & su-  
menda ex opinionibus didicerant: Adepti ve-  
ro, tum demum summis lætitiis incedunt, cœ-  
lestem in terris vitam agere se putant, & inter  
mortales humani quidam sibi Joves videntur,  
quibus nihil tam adversum intervenire possit,  
quod hanc felicitatem illis minuat vel omni-  
no eripiat. Nam & hæc una est ex illis, quibus



cum caput collimarunt initio, opinionibus,  
Fortunam non globo, sed cubo insistere, nec  
in ejus imperio ventos esse sibi adversantes, qui  
ratem ejus modo horsum modo alioversum  
inpellant, interdum quoq; planè scopulo illis  
dant & submergant. Sic opulentus vivit, ut  
inopiam non timeat, sic honoratus, ut sini-  
stros aliorum rumores non æstimet, sic robu-  
stus, ut morbum & ex eo virium defectum, non  
metuat, Sic juvenis, ut mortem, quam procul  
à se abesse putat, hujus non faciat. Sed ab Ex-  
perientia, non in se minus magistra quàm in aliis  
docti, quod & Regi possit contingere, v. g. Per-  
seo Macedonia, ut regno spoliatur, & alii Croe-  
so, Iru ut fiat; & honorato, ut statua ever-  
tantur, consentur, vel ipsi etiam carnifici de-  
dantur; & robusto, ut viribus exhaustus vel  
scipionis vel bajuli opem implorare cogatur;  
& juveni, ut præter suam & omnium opinio-  
nem, non ad anni vel mensis, sed vel septima-  
næ vel diei finem sanus & salvus, non perve-  
niat. Hinc Tristitia, Cordolium, Poenitentia,  
Anxietas inutilis & quicquid vitam plus quam  
emortualem reddat, & vel senum canos, vel ju-  
venum vires vel aliorum alia decora & orna-  
menta cum gemitu in sepulcrum deducat. Sed  
alia est ratio piorum, qui in CHRISTO mo-  
riuntur,



riuntur, qui noverunt, quod hæc vita ad æter-  
nam via sit, qui noverunt quod redemptor suus  
vivat, eiq; tota fide sic incumbunt, ut nul-  
la adversitas tanta sit, quæ illos ab ea caritate,  
quæ est in CHRISTO JESU, se jungere ac se-  
parare possit. Cujus rei exemplum offertur no-  
bis hodie in funere Clariss. & Consultissimi Vi-  
ri Dn. LAURENTII MARQUARDI  
Gryphiswaldensis. Is Patre natus est JOHAN-  
NE MARQUARDO Advocato & Procu-  
ratore judicij Provincialis in Pomerania Wol-  
gasti, & postea Senatore Gryphswaldensi, Ma-  
træ MAGDALENA Ribow / matrona pia  
& honesta. Avus ei paternus fuit, vir Ampliss.  
& prudentissimus Dn. NICOLAUS MAR-  
QUARD, Senator Reipubl. Gryphswald.  
Avia paterna MARGARETA Hornß / ex  
nobili familia in Pomerania *der Horn* oriunda,  
matrona præstantissima. Avus maternus Dn.  
LAURENTIUS Ribow / Senator Gryphis-  
waldensis prudentissimus. Avia materna CA-  
THARINA Summinges / quæ & ipsa pietate  
& virtute matronali floruit. Ex hisce parenti-  
bus ante 38. annos natus hic piè defunctus  
LAURENTIUS, in pietate & bonis literis,  
ab ipsa pueritia informatus, primò in Scholis



trivialibus in ipsa Pomerania, Megapoli & Westphalia. Cum jam fundamenta literarum jecisset; ad Scholas regias missus est, & primò vixit Wittebergæ: hinc ad Academiam patriam reversus est; post Lugdunum Batavorum abiit: Inde Academias Galliæ & Italiæ ac loca vicina visitavit; atq; ita totum quinquennium in exoticis Academiis ac vicinis regionibus consumpsit. Post in Germaniam rediens Reverendissimi & Illustris. Archiepiscopi Bremensis ac Ducis Holsatiæ Dn. JOHANNIS FRIDERICI præfectus Vorden constitutus Anno 1629. Postquam vero ipsius in expediendis negotijs diligentia ac dexteritas innotuit Reverendissimo Archiepiscopo, in numerum Consiliariorum cooptatus, officium demandatum cum laude sustinuit, ita ut in simul Inspector Monasterii Niewald ordinatus sit. Defuncto autem Archiepiscopo Bremensi JOHAN-FRIDERICH à successore Dn. FRIDERICO Regis Daniæ filio, Duce Holsatiæ p. t. Archiepiscopo Bremensi in istis officiis est confirmatus. Tandem pertæsus vitæ aulicæ utpote multis adversitatibus & persecutionibus sæpenumero obnoxia, sese quieti reddere voluit. Inde Anno 1638. gradum Doctoris in Academia Marpurgensi assumpsit, idq;

non



non sine laude, ut apparet ex amplissimo collegij Facultatis Juridicæ testimonio. Post privatam vitam elegit, ubi singulari dispositione providentiæ divinæ factum, ut Anno 1639. die 23. Octobris matrimoniū inierit cum filia Dn. LAURENTII STEPHANI J. U. D. hujus Academiæ Profefs. Facultatis Juridicæ Senioris, ut & Consiliarii Ducis Megapol. & Cancellariæ Gultroviensis Directoris, ELISABETHA, nunc vidua moestissima. Quod conjugium, breve quidem, sed non infœcundum; Siquidem ante aliquot septimanas filiam ex charissima conjugate natam vidit, cui dies natalitatis nomen ELISABETHÆ indidit. Utinam verò licuisset etiam Academiæ nostræ diutius frui vita hujus viri; Siquidem autoritate Illustris. Principis ex substitutione Dn. Soceri LAURENTII STEPHANI vices in munere professorio & Facultatis Juridicæ laboribus cum laude sustinuit, & per ætatem sustinere diutius potuisset. Sed ea est, fragilis nimirum, vitæ nostræ conditio. Ante aliquot enim dies 2. Januarij manè surgens infirmitatem nullam sensit: Paulo post tamen dolorem expertus, quem Medici pleuritim nominant, cui febris ardens accessit, ac tanto in petu corpus per se gracile  
inva-



invasit, ut VIII. Januarij. inter I. & 2 horam  
pomeridianam, Spiritum adstante Confessio-  
nario, aliisque amicis, inter orationem emisit.  
Mortem adesse persentiscens, verba Psalmi 31,  
In manus tuas commendo Spiritum meum,  
Domine, ingeminavit, addita precatiuncula,  
ut discedentem ex hac vita Deus pater, pater-  
na sua benevolentia, propter filium Mediato-  
rem, sanguine suo se à peccatis lavantem prose-  
quatur, Finitis precibus placidè obdormiit, &  
ex hac vita in alteram æternam commigravit,  
Quid hoc tam beato obitu optabilius? etiam si  
florētibus annis contingat? Nostrum est, Cives  
Academici, si quis luctus, licet humanum &  
Christianum hoc sit, in animis propinquorum  
oboriatur eum, nostro officio, quantum possu-  
mus, delere. Possumus vero, si frequenti nostra  
præsentia funus præstantis viri ornemus. De-  
bemus illud Amplifs. Dn. Socero, D. Stephani,  
& Christianismus à nobis postulat, ut initio hu-  
jus anni de progressu & fine mortali cogite-  
mus, P. P. Rostochij sub sigillo Rectora-  
tus, 12. Januarij Anno 1641.

*Conventus fiet hora prima in templo  
Mariano,*



riuntur, qui noverunt, quod hæ  
nam via sit, qui noverunt quod r  
vivat, eiq; tota fide sic incum  
la adversitas tanta sit, quæ illos  
quæ est in CHRISTO JESU, se  
parare possit. Cujus rei exemplum  
bis hodie in funere Clariss. & Cor  
ri Dn. LAURENTII MAR  
Gryphiswaldensis. Is Patre natus  
NE MARQUARDO Advoc  
ratore judicij Provincialis in Pom  
gasti, & postea Senatore Gryphs w  
tæ MAGDALENA Ribow /  
& honesta. Avus ei paternus fuit  
& prudentissimus Dn. NICOLA  
QUARD, Senator Reipubl.  
Avia paterna MARGARETA  
nobili familia in Pomerania der S  
matrona præstantissima. Avus  
LAURENTIUS Ribow / Sena  
waldensis prudentissimus. Avia  
THARINA Suminges / quæ  
& virtute matronali floruit. Ex  
bus ante 38. annos natus hic p  
LAURENTIUS, in pietate &  
ab ipsa pueritia informatus, pri  
M 3

